

# M. VALERI MARTIALIS

## DE SPECTACULIS LIBER

### II

Hic ubi sidereus propius videt astra colossus  
et crescunt media pegmata celsa via,  
invidiosa feri radiabant atria regis  
unaque iam tota stabat in urbe domus.  
hic ubi conspicui venerabilis Amphitheatri 5  
erigitur moles, stagna Neronis erant.  
hic ubi miramur, velocia munera, thermas,  
abstulerat miseris tecta superbus ager.  
Claudia diffusas ubi porticus explicat umbras,  
ultima pars aulae deficientis erat. 10  
reddita Roma sibi est et sunt te praeside, Caesar,  
deliciae populi, quae fuerant domini.

## THE EPIGRAMS OF MARTIAL

### VII

QUALITER in Scythica religatus rupe Prometheus  
adsiduum nimio pectore pavit avem,  
nuda Caledonio sic viscera praebuit urso  
non falsa pendens in cruce Laureolus.<sup>3</sup> 5  
vivebant laceri membris stillantibus artus  
inque omni nusquam corpore corpus erat.  
denique supplicium<sup>1</sup> . . . . .  
vel domini iugulum foderat ense nocens,  
templa vel arcano demens spoliaverat auro, 10  
subdiderat saevas vel tibi, Roma, faces.  
vicerat antiquae sceleratus crimina famae,  
in quo, quae fuerat fabula, poena fuit.

### VIII

DAEDALE, Lucano cum sic lacereris ab urso,  
quam cuperes pinnas nunc habuisse tuas!

<sup>3</sup> A condemned criminal representing in the Amphitheatre Laureolus, a robber who had been crucified and torn to pieces by wild beasts, and whose death had been represented in a Mime (*fabula*, l. 12) under Caligula (Juv. 8, 187; Suet. *Cal.* 57), but in this case was enacted realistically in the Amphitheatre.

## THE EPIGRAMS OF MARTIAL

### XXIV

SI quis ades longis serus spectator ab oris,  
cui lux prima sacri muneris ista fuit,  
ne te decipiat ratibus navalis Enyo  
et par unda fretis, hic modo terra fuit.  
non credis? specta, dum lassant aequora Martem: 5  
parva mora est, dices "Hic modo pontus erat."

THE EPIGRAMS OF MARTIAL

XXIX

CUM traheret Priscus, traheret certamina Verus,  
    esset et aequalis Mars utriusque diu,  
missio saepe viris magno clamore petita est;  
    sed Caesar legi paruit ipse suae:  
lex erat, ad digitum posita concurrere palma;<sup>1</sup>      5  
    quod licuit, lances donaque saepe dedit.  
inventus tamen est finis discriminis aequi:  
    pugnare pares, succubere pares.  
misit utrique rudes et palmas Caesar utrique:  
    hoc pretium virtus ingeniosa tulit.      10  
contigit hoc nullo nisi te sub principe, Caesar:  
    cum duo pugnarent, victor uterque fuit.

# MARTIAL

## EPIGRAMS

WITH AN ENGLISH TRANSLATION BY  
WALTER C. A. KER, M.A.  
SOMETIME SCHOLAR OF TRINITY COLLEGE, CAMBRIDGE  
OF THE INNER TEMPLE, BARRISTER-AT-LAW

IN TWO VOLUMES

I



CAMBRIDGE, MASSACHUSETTS  
HARVARD UNIVERSITY PRESS  
LONDON  
WILLIAM HEINEMANN LTD  
MCMLXVIII